

† Fr. Carolus (Ambrosius Friedel) (1871-1954)

(*Prov. Baltimor.*)

Est tertius sodalis Provinciae Baltimorensis, quorum necrologia in eodem folio privato *C.S.S.R. Chronicle* inscripto reperiuntur, et qui brevi sex dierum spatio e vivis sublatis sunt. Et hic quoque senex 83 annorum in nostro Commentario latino aliquam paginam meretur; fuit enim unus ex illis optimis Fratribus coadiutoribus « antiquae stirpis », qui et laborando et orando nobis Patribus admirationi erant.

Natus Baltimore in nostra paroecia S. Michaëlis, Ambrosius Friedel, cum sacerdotium desideraret, puer 14 annorum ingressus est in iuvenatum North East, sed videns postea se studia sacerdoti necessaria vix posse perficere, contentus erat humili condicione Fratris coadiutoris, et vota nuncupavit Ilchestriae festo S. Ioseph 1891, annos natus 20.

Fr. Carolus confratribus in variis communitatibus diligenter servivit, ut coquus per 39, ut sartor per 27 annos, ubique miro studio in praxim deducens illud: *Ora et labora*. Coquus quidem diebus festis vel plus laboris habebat; at postea, quando sartor erat, Dominicas et Festa fere integra dedicabat orationi. Ferunt eum tunc circ. decies Viam Crucis perfecisse et quindecies quinas Rosarii decades recitasse! Admirabilia quoque reliquit exempla suae devotionis erga incruentum altaris Sacrificium, et quasi novo sensu instructus esse videbatur ad detegendas Missas alicubi celebrandas et ad assistendum quam plurimis.

Sed qui eminebat in orando, haud minus eximius erat in laborando. Esto non fuerit optimus sartor; verum in amore atque assiduitate laboris nemini cedebat. Numerus vestium talarium ab eo confectarum ad varia milia pertingere creditur, et quo citius confratrem novum vestitum petentem contentum reddere posset, partes variae magnitudinis iam antea paraverat.

In parvo eius regno regnabat non modo eximia munditia, sed etiam certa pulchritudo, praesertim tempore Natalicio. Tandem, deficientibus viribus corporis, dilectam suam officinam vestiariam Ilchestriensem relinquere coactus est, translatus ad tranquillam domum Saratoga Springs. Ibi, pientissime receptis ultimis sacramentis, vita excessit fer. IV 3 Novembris 1954. R. I. P.

C. H.